

si haberet motum circa illicita, peccaret, propterea non potuit habere tentationem carnis.

XVII. Secundo etiam explicari potest D. Thomas quando dicit: « Tentationes carnis esse non posse sine peccato, » ita ut non loquatur de peccato formaliter, sed radicaliter, quia fomes radix est multorum peccatorum, atque adeo cum ibi supponat D. Thomas in Christo non fuisse fomitem peccati, consequenter docet in illo non fuisse tales tentationes carnis.

XVIII. Ad confirmationem respondetur motum illum appetitus sensitivi refugiendi mortem, non fuisse rationi contrarium, sed potius maxime consentaneum; tum, quia erat ex propensione naturæ; tum etiam, quia recta ratio dictat objectum mortis terribilis esse formidabile; unde voluntas ipsa divina Christi, et humana volebat appetitum sensitivum habere talem motum, atque adeo fuit ex deliberatione rationis ut se explicaret secundum propriam naturam, nec est inconveniens refugere, et appetere mortem secundum diversas considerationes, nam refugiebat illam secundum quod mors erat malum naturæ privans optimo bono, scilicet vita; appetebat autem illam quatenus applicabatur per voluntatem, quæ mota a ratione superiori volebat mortem ad nostram salutem.

XIX. Quarto arguitur: Quia si in Christo non deberet poni fomes peccati maxime propter rationem D. Thomæ in hoc articulo, quia scilicet in Christo erant virtutes morales perfectissimæ; sed hæc ratio non convincit; ergo. Probat minor, quia in aliis viris justis ut Baptista, imo et in Beatissima Virgine Maria reperiebantur istæ virtutes perfectissimæ, et in gradu heroico; et tamen ab istis propter talium virtutum perfectionem non auferabatur

fomes peccati: ergo licet in Christo fuerint perfectissime virtutes istæ non excludunt ab illo fomitem.

XX. Ultimo arguitur: Quia licet in Christo de facto non fuerit fomes peccati, potuit tamen esse in illo de potentia Dei absoluta; ergo sic affirmandum est. Antecedens probatur, quia fomes peccati non est peccatum, ut Concilium definit: et alias omnes homines justii essent in peccato continue cum habeant fomitem; ergo non repugnat poni in Christo.

XXI. Confirmatur, quia ad excludendum fomitem a Christo Domino recurrit D. Thomas ad gratiam, et ejus virtutes morales; sed non est impossibile quod Christus non habeat gratiam habituales, aut virtutes istas, multoties enim diximus potuisse Verbum assumere naturam humanam omni dono supernaturali destitutum; ergo nec etiam erit impossibile talem fomitem peccati in Christo reperiri.

XXII. Respondetur optimam esse rationem D. Thomæ, quia non procedit de quacumque virtute, etiam in gradu heroico, sed de virtutibus quatenus erant in Christo, ut explicuimus in tertia conclusione; illæ enim virtutes, eo quod simul cum gratia unionis conjungebantur, habebant ab intrinseco ratione unionis totaliter fomitem auferre. At in Beatissima Virgine, quando post conceptionem Filii extinctus fuit fomes peccati non ab intrinseco, sed ab extrinseco extinguebatur ex peculiari dono Dei.

XXIII. Ad ultimum respondetur, non potuisse esse in Christo etiam de potentia Dei absoluta fomitem peccati, quia licet peccatum non sit, supponit tamen potentiam peccandi in subjecto, quæ omnino repugnat naturæ assumptæ a Verbo.

XXIV. Ad confirmationem res-

pondere quis posset ex doctrina Suarez in commentario hujus articuli, ubi ait, quod præter gratiam, et virtutes ponenda est in Christo aliqua perfectio, vel particularis Dei providentia, ut non permitteretur appetitus Christi moveri, vel excitari antequam ratio adverteret. At hæc solutio mihi non videtur veram continere doctrinam, quia etiam possibile est, quod Christus non habere perfectionem illam, si illa est a gratia unionis distincta. Deinde, quia illa particularis providentia si non conceditur gratis, atque adeo subtrahibilis per voluntatem divinam, supponere debet aliquid intrinsecum in humanitate Christi, cui ita sit debita, ut ratione illius intrinsece repugnet habere tales motus a ratione discordantes.

XXV. Respondetur ergo ad argumentum cum magistro Vincentio pagina 43 fomitem peccati exclusum esse a Christo ratione gratiæ unionis radicaliter, qua parte ejus humanitas exire non posset in alium quem actum, qui non esset præventus a divino Verbo, et ideo non potuit esse deordinatus neque ad deordinatum inclinare. Ratione vero gratiæ, et virtutum excluderetur fomes a Christo quasi formaliter, et proxime; non quidem sic quod illæ præcise sufficerent, quia si illæ eadem constituerentur in altero homine puro, fomitem non tollerent, sed quia illæ prout in tali subjecto sunt, hoc habent præstare. Sicut gratia habitualis, quæ secundum se, et in homine puro constituta non potest esse gratia capitis quantumvis crescat, de facto tamen est gratia capitis in Christo, quia in tali subjecto est, ut supra diximus quæstione octava.

XXVI. Exclusio jam a Christo principali defectu animæ, qui est peccatum, cum sua radice, quæ est fomes, in sequentibus articulis hujus quæstionis prosequitur S. Tho-

mas excludendo alios defectus.

#### PROSEQUITUR TEXTUS.

Igitur in tertio inquirat si fuit ignorantia in Christo. Conclusio est negativa, quam probat; tum, quia venit ut auferret ignorantias nostras, et ignorantia per ignorantiam non tollitur; tum, quia habuit plenitudinem scientiæ, quæ excludit ignorantiam, sicut plenitudo gratiæ excludit fomitem peccati: et nos supra in materia de scientia ostendimus, quomodo Christus secundum triplicem scientiam, scilicet beatam, infusam, et acquisitam omnia scivit, et per consequens, quod non habuit ignorantiam.

In articulo quarto, inquirat si anima Christi fuit passibilis. Et respondet, quod fuit passibilis passione corporali, quia corpus Christi fuit passibile, et mortale; ergo et anima hoc modo fuit passibilis, etiam passione animali, quia habuit affectiones appetitus sensitivi pertinentes ad naturam hominis. Sed advertit sanctus doctor, quod quantum ad tria aliter fuerunt passiones in Christo, quam in nobis. Primo, quantum ad objectum, quia in nobis plerumque feruntur ad illicita, non in Christo: secundo, quantum ad principium, quia in nobis frequenter præveniunt judicium rationis, non in Christo: tertio, quantum ad effectum, quia in nobis quandoque trahunt rationem, non in Christo.

In quinto inquirat si in Christo fuerit dolor sensitivus. Conclusio est affirmativa, quam probat ex illo Isaiaë LIII: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Ratione autem, quia ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis, et sensus læsionis; sed corpus Christi lædi poterat, quia

erat passibile, et sensus læsionis non defuit, quia anima Christi perfecte habuit potentias naturales; habuit ergo sensum læsionis; ergo et dolorem.

In sexto inquit, utrum in Christo fuerit tristitia. Conclusio est affirmativa; tum ex illo Matthæi xxvi: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: et Ambrosius inquit: « Ut homo tristitiam habuit; » tum, quia objectum, seu motivum tristitiæ est nocivum, seu malum interius apprehensum, sive per rationem, sive per imaginationem, sed anima Christi potuit interius apprehendere aliquid ut nocivum quantum ad se, sicut fuit passio, et mors ejus; quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, et occidentium ipsum; ergo fuit in Christo tristitia sicut et dolor, aliter tamen quam in nobis, secundum tria assignata articulo quarto.

In septimo inquit si in Christo fuit timor. Conclusio est affirmativa, quam probat ex illo Matthæi xiv: *Cæpit Jesus pavere, et tædere*, sed in corpore distinguit timorem duplici modo; uno quantum ad hoc, quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis læsionem, et si sit futura est per timorem, sicut si est præsens per tristitiam, et hoc modo ponitur timor in Christo, sicut tristitia: alio modo secundum incertitudinem futuri eventus, sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, ignorantes quid hoc sit, et hoc modo timor non fuit in Christo, quod etiam affirmavit Damascenus.

In octavo inquit, utrum in Christo fuerit admiratio. Conclusio est bimembris. Quantum ad scientiam experimentalem fuit admiratio in Christo, non vero quantum ad scientiam divinam, beatam, vel infusam. Probatur utraque pars ex eodem principio diversimode applicato, quia admiratio est de aliquo novo,

et insolito; sed secundum scientiam divinam, beatam, et infusam non fuit illi aliquid novum; ergo secundum has scientias non habuit admirationem. Secundum vero experientiam poterat esse aliquid novum, secundum quod quotidie aliqua nova occurrebant, et secundum hoc potuit habere admirationem, sicut quando audiens verba centurionis miratus est, Matthæi viii.

In nono inquit, utrum in Christo fuerit ira. Conclusio est bimembris. In Christo fuit ira secundum ordinem justitiæ, non vero secundum quod est peccatum. Probatur, quia ira est effectus tristitiæ quatenus ex malo illato sibi, vel aliis, aliquis tristatur, et intendit vindictam. Dictum est jam, quod in Christo fuit tristitia: appetitus vindictæ potest esse vel secundum ordinem justitiæ, et hoc est secundum rationem, et sic conjunctus cum tristitia potuit esse in Christo, ideo Joannis secundo dicitur, quod illud Psalmi: *Zelus domus tuæ comedit me*, fuit impletum in Christo, et hoc modo potest esse ira in Christo, non vero secundum quod involvit appetitum vindictæ contra rationem.

In articulo decimo inquit, utrum Christus simul fuerit viator, et comprehensor. Conclusio est affirmativa, quam probat, quia Christus secundum animam habuit beatitudinem, et ex hac parte erat comprehensor. Secundum vero corpus, et secundum quod anima ejus erat passibilis deerat ei ultima felicitas, et beatitudo, et ex hac parte erat viator, quia tendebat in illam; propter quod dicitur Hieremiæ xiv: *Quare colonus futurus est in terra, et quasi viator declinans ad manendum?* Iste articulus ideo adducitur in hac quæstione de defectibus animæ, quia dum quis est viator ex illa parte deficit illa ultima beatitudo ad quam tendit.

## QUÆSTIO XVI.

### DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM,

### QUANTUM AD EA QUÆ CONVENIUNT CHRISTO, SECUNDUM ESSE, ET FIERI.

Postquam D. Thomas in præcedentibus egit de mysterio incarnationis quantum ad substantiam unionis, et aliis ad illam pertinentibus, modo incipit agere de his, quæ consequuntur unionem; et in hac quæstione per duodecim articulos agit de his, quæ consequuntur unionem, quantum ad esse, et fieri, hoc est, de modo loquendi de mysterio, quia ad doctorem catholicum, non solum pertinet scire veritates fidei, sed etiam modum loquendi de illis. Quæ omnia per articulos perstringemus, veritates enim perstringere necesse est; non tamen disputatio in earum examine requiritur, quia ex ipsismet terminis fere constat.

#### ARTICULUS I.

*Utrum hæc sit vera: Deus est homo?*

I. Prima conclusio: Supposita veritate mysterii hæc propositio: Deus est homo, est vera, et propria, non solum propter veritatem terminorum; sed etiam propter veritatem prædicationis.

II. Secunda conclusio: Prædicta propositio non est contingens, vel accidentalis, nec in materia remota, sed essentialis, et in materia naturali.

III. Circa primam conclusionem primo notandum est, quod supponitur veritas mysterii contra errores oppositos. Primus error circa prædicatum negavit veram humanitatem, ut Manichæi: secundus negavit

divinitatem naturalem, et substantialem, et solum affirmavit divinitatem per gratiam, deficit ex parte subjecti: tertius deficit ex parte copulæ, ponit etiam Deum, et hominem verum, sed conjunctionem utriusque accidentalem, aut affectivam; sic Nestorius. Veritas autem fidei est, quod est verus Deus, et verus homo, et unio substantialis; et hac veritate supposita hæc propositio: Deus est homo, est vera.

IV. Durandus in iii, dist. iv, quæst. ii inquit, quod hac veritate supposita, quamvis negetur hæc propositio: Deus est homo, non erit error contra fidem; sed solum contra dialecticam, vel grammaticam. Sed in hoc valde erravit Durandus; tum, quia non solum catholicus debet credere interius fidem, sed etiam verbis exterius profiteri, quia